

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput I.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

rere vel fugere videar: tum ad singula,
 quapotero claritate, respondebo. His
 breviter prænotatis, Deo auspice,
 cujus unius gloriam, animarumque sa-
 lutem hoc meo studio quæro, opus ag-
 grediamur.

C A P U T I.

DOCTRINA CATHOLICA

à Concilio Trid. confirmata, & à D.

Heidegg. oppugnata, clarè
 proponitur.

D Heid. quæstionem præsentem
 sic proponit. *An in SS. Eucha-
 ristia Sacramento sub specie rerum sen-
 sibilium verè, realiter, & substantialiter
 præsens sit corpus & sanguis Christi.*
 Mox addit: *Affirmat caput 1. & Ca-
 non. 1. (Concilij Trid.) simulque ana-
 themate percellit eos, qui id negaverint,
 & asseruerint, corpus & sanguinem
 Christi esse in Sacramento Eucharistia,
 ut in signo, vel figura, aut virtute.*

Resp. Status quidem quæstionis
 hoc titulo benè proponitur; at doctri-
 na Concilij melius referretur, si par-
 ticulari tantummodò, quam Concilium
 in Ca-

in Canone, non absque urgente causâ, addit, non omitteretur. Jam supra fol. 194. vidimus, Evcharistiam, quoad visibilia Symbola panis ac vini, etiam à SS. Patribus, & quidem benè, vocari *signum, figuram, imaginem, & antiypum* corporis ac sanguinis Christi. Quare Concilium non percellit anathemate eos, quiasseruerint, corpus & sanguinem Christi esse in Sacramento Evcharistia, ut in signo, vel figura, aut virtute; sed eos, qui dixerint, ea tantummodo esse in eo, ut in signo vel figurâ, aut virtute, &c. & ideo negaverint corpus & sanguinem Christi in illo verè, realiter, ac substantialiter adesse. En, majoris claritatis causâ, ipsa verba Canonis citati.

Can. 1.

Si quis negaverit, in sanctissimo Evcharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem una cum animâ & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute: Anathema sit.

K s

Quis

Quis non facile advertit, in adverbio tantummodò singularem vim esse, & ideo nullo modo omitti posse ab eo, qui doctrinam Concilij fideliter tradere vult. Ut autem hunc ipsum Canonem adhuc melius intelligas, & simul doctrinam Concilij, cui sua argumenta D. Heideg. opponit, plenius percipias, en etiam appono integrum caput 1. à D. Heid. citatum.

De reali presentia Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia Sacramento.

Cap. 1.

Prin cipio docet sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter proficitur, in almo sancto Eucharistia Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum, atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilibum contineri: nec enim hac inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in Calis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus alijs in locis sacramen-

mentaliter præsens sua substantia nobis
 adsit, eâ existendi ratione, quam ei si ver-
 bis exprimere vix possumus, possibilem ta-
 men esse Deo, cogitatione per fidem illu-
 stratâ assequi possumus, & constantissi-
 mē credere debemus: ita enim maio-
 res nostri omnes, quotquot in vera Chri-
 sti Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo
 hoc Sacramento disseruerunt, apertissimē
 professi sunt, hoc tam admirabile Sacra-
 mentum in ultimâ canâ Redemptorem
 nostrum instituisse; cū, post panis, vini-
 que benedictionem, se suum ipsius corpus
 illis præbere, ac suum sanguinem, disce-
 ris ac perspicuis verbis testatus est, quæ
 verba à sanctis Evangelistis commemo-
 rata, & à Divo Paulo postea repetita,
 cum propriam illam, & apertissimam si-
 gnificationem præferant, secundū
 quam à Patribus intellecta sunt, indignis-
 simum sanē flagitium est, ea à quibus-
 dam contentiosis, & pravis hominibus
 ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus
 veritas carnis & sanguinis Christi nega-
 tur, contra universum Ecclesie sensum,
 detorqueri: quæ, tanquam columna, &
 firmamentum veritatis, hac ab impijs ho-

minibus excogitata commenta, vel sacranica, detestata est, grato semper, & memorie animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens. Hæc Concilium.

Ex hoc capite doctrina Concilij clarè innotescit; quare jam solum superest, ut ea, quæ D. Heid. huic opponit, videamus.

CAPUT II.

REFERTUR SENTENTIA

D. Heideggeri, suorumque Protestantium.

NO S (mox sententiæ Concilij Trid. relata subjungit D. Heideg.) ante omnia præsentiam corporis ac sanguinis Christi distinguimus. Est enim ea, vel spiritualis, vel sacramentalis, symbolica & relativa, vel corporalis & substantialis.

Resp. Hanc distinctionem non reprobō, & ideo audiamus, quid per quodlibet hujus distinctionis membrum à D. Heid. intelligatur.

1. Spiritualis est, inquit, quæ corpus & sanguis Christi per Spiritum S. præ-

sens